



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Chariton Conf. 28. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

per Boleslaum in mensâ obtruncat. Sed parricidium novercæ matris , neque ipsa quidem Styx tulit: curru quippe vœctam cum omni comitatu (ſt modò aurigam excipias, qui ære campano excitus ad aram accurrerat) vivam absorpsit, utique non levem terram habituram, cui viva tam gravis fuerat. *Ex Surio.*

*Nemo ſperet in patronis, nemo in amicis aut parentibus, cùm etiam frater fratrem tradat in mortem, pater filium, & filius patrem.* S. Joann. Chrysost. hom. 24. in Matthæum.

### S. CHARITON CONF. 28. Septembris.

**S**ic persuasum habeo, uti dedecus plenum ignominia civi Romano fuit, ita plenum gloriâ facinus Christiano fuisse , ad tribunal cædi. Cur enim CHARITON nobilis Iconii civis obtorto collo in jus iniquissimum raptatus exultavit etiam gaudio , cùm in crucis formam extensus flagris cæderetur barbarūm , & facibus iſtularetur miserandūm, niſi quod uni Sc̄evolæ Romano invidiam facere omnes Christiani vellent , docereque nullas honestiores cicatrices esse, quām pro Christo à tyranno acceptas? His plenus miles noster in carcerem detrusus est. aperuit tamen hunc, quæ vitam clausit impiam Aureliano mors impia. Ergo liber CHARITON, ut Christi vestigiis insisteret, instituit Hierosolymam petere ; sed interceptū ex itinere prædones in antrū suum abducunt, ignari à captivo se spoliandos. Etenim cùm palantibus illis serpens haustum libasset, mortem omnes sub adventum biberunt , & è vinculis CHARITON Angeli operā exemptus, spolia omnia prædonum prædam pauperum fecit. Inde jar animis insidias struere

struere CHARITON, & ex urbe socios vitæ plurimos in silvas pellicere , jamque asceteria terna condere, verbis, exemplo tenere. Post hæc denique placuit rupem descendere ( per solas scalas aditus erat) indeque velut ex arce suis advigilare. Fons quoque cum deesset, lacrimis hunc mercatus est. Denique cum ad suos undique convocatos pro virtute verba faceret , dixit & vixit. Ex Metaphr.

*Si mortem assiduè meditaberis, non peccabis: si ab omnibus terrenis negotiis liber ac nudus fueris, latronis impetum non timebis: si hæc caduca & fugacia despexeris, victoria palmarum obtinebis.* S.Ephrem in Beatitud.

## S. LIOBA ABBATISSA. 28.Septembris.

LIOBA est , nobilis cum primis & Deo dicata virgo, eademque virginum multarum mater. Et hanc, cum Germaniam percoleret D. Bonifacius , ex Angliâ in auxilium evocavit, ut novo Parthenoni Bischoffsheimensi Antistes præesseret. Vitam vixit , quam rebellis cælo Angelus invideret homini. Inde cum labe nullâ posset , sinistris tumoribus famam vitiare virginis aggressus est in hunc modum. Muliercula stipe vicitabat, quam in dies singulos virginum asceterium porrigebat. Hæc cum prolem extra thori leges enixa esset, crimen mergere cum partu in rivo voluit , qui cœnobium proximus alluebat. Sed non eluerunt aquæ facinus ; prodiderunt, & in suspicionem cædis ad populum totum virginum Collegium vocarunt. Hic LIOBA in auxilium Superos passis manibus tam diu vocare , dum Davidis omnia carmina percurreret. Inde cœnobii muros circumlatâ cruce lustrare. Neque refugit patrocinari cælum,